

Les sources manuscrites de la théorie de la musique
(S. IX-XVI)

Catania, Biblioteche Riunite Civica
e Antonio Ursino Recupero (I-CATc)
D 39, f. 33v-34r

Transcription : Christian Meyer
(février 2006 – rév. nov. 2017)

33v

Jacobus de Barbo¹

¹ Postquam adimpleti sunt tres libri, scilicet primus de cantus im-
mensurato, qui dicitur cantus planus, secundus de cantu mensu-
rato, qui organicus appellatur, ^{3^{us}} de contrapuncto, qui biscantus
vocatur, ² nunc restat in hoc quarto et ultimo libro tractare de pro-
portionibus musicalibus iuxta mei parvi possibilitatem ingenii
subponendo me correpcioni magistrorum et doctorum in supra-
dicta arte musicali ³ sequens semper vestigia ipsorum magistro-
rum et eciam eorum dicta in quibus tractaverunt de proporcioni-
bus et proporcionalitatibus. ⁴ Et primo quid sit proporcio.

⁵ Proportio est duorum comparitorum ad invicem habitudo.

⁶ Et dividitur, quia alia est proportio communiter dicta et alia pro-
prie dicta. ⁷ Proporcio communiter dicta est aliquorum vel duo-
rum comparitorum in aliquo in quo comparatur unius ad alte-
rum habitudo. ⁸ Et dicitur *in aliquo* propter maiorem expressio-
nem, quoniam in equivocis nulla repperitur proportio ut asserit

² subponendo] superponendo cod.

¹ cf. Iohannes Georgius Graevius, *Thesaurus antiquitatum et historiarum Siciliae*, t. 3
(Leyde, 1723), p. 1279D ; *ibid.* Rocco Pirri, *Regiae et imperialis capellae collegiatae
Sancti Petri sacri et regii Palatii Panormitani notiam opus posthumum*, p. 13 et p. 43
Index chronicus cantorum (« 1456. Jacobus de Barbo »).

Aristotelis primo *Thopicorum* capitulo de invencione silogizandi instrumenti quo in silogismis habundamus dyialecticis.⁹ Ex qua discretione habere possumus proporcionem communiter dictam in omnibus que equalitatem vel inequalitatem, similitudinem et dissimilitudinem, magis et minus suscipiunt, reperiri.

¹⁰Quedam est proportio proprie dicta, que sic describitur : proportio proprie dicta est duarum quantitatum vel plurium quantitatum unequalium eiusdem generis propinqui vel eiusdem speciei adinvicem habitudo.¹¹ Et dicitur eiusdem generis propinqui quoniam una quantitas continua cum alia quantitate discreta proprie proportionari non possunt, cum non sint eiusdem generis propinqui set bene remote.¹² Ex qua descriptione comprehendere possumus proportionem proprie dictam solum in hiis que equalitatem vel inequalitatem suscipiunt reperiri, hoc est in quantitatibus.

¹³In ista descriptione sic posita cuiusque ⁺membris declarate primi dividendo⁺ quia nunc ad propositum secundum agredior quod proposito nostro pertinet et ipsum totaliter subdividendo.

¹⁴Quoniam secundum Pictagoram omnis vero quantitas continua vel discreta dicitur esse, continua magnitudo appellatur, discreta vero multitudo.¹⁵ Quantitas continua incipit a mensura finita et decrescit in infinitum. Que quantitas dividitur quia quedam est mobilis et quedam immobilis.¹⁶ Mobilis ut in spera mundi, et ista astronomiam prosequitur.¹⁷ Inmobilis ut in terra, scilicet triangulum vel quadrangulum, ortogonum, polygonum et omnium aliarum figurarum, et ista ad speculacionem geometrie spectat.

¹⁸Quantitas autem discreta incipit a numero | finito et procedit in infinitum.¹⁹ Que quidem quantitas dividitur quia quedam est per

11 proportionari] proporcioni *cod.*

12 descriptione] discretione *cod.*

13 nunc] nec *cod.*

17 polygonum *cod.*

se, quedam ad aliud comparata.²⁰ Per se ut dicimus binarium, trinarium, quaternarium, quinquenarium, procedendo in infinitum per suas species, ut addere, subtrahere, dupplare, dimidiare et multiplicare et de radicum extrahere.²¹ Et talis quantitas vel talis numerus est subiectum in arsmetrica.²² Et ista pertinet ad arsmetricos et tunc dicitur quantitas absoluta et relata.²³ Ad aliud comparata ut dicimus duo ad unum, tria ad duo, quatuor ad trium, et sic in infinitum quia talis numerus est numerus sonorus et est subiectum in musica, et ista pertinet ad musicos et tunc est quantitas relata tantum.²⁴ Unde musica est de numero relato ad sonum.

²⁵ Et dico quod duplex est proporcio proprie dicta est, scilicet rationalis et irrationalis.²⁶ Proportio rationalis est plurium quantitatum commensurabilium adinvicem habitudo.²⁷ Pro quarum duarum descriptione est sciendum quod quantitates mensurabiles dicuntur, quibus repperitur una communis mensura quamlibet illarum quantitatum mensurare potens.²⁸ Ille vero dicuntur quantitates incommensurabiles, quibus nulla talis mensura communis reperitur.²⁹ Ulterius vero subdividendo primum membrum subdivisionis istius, quia 2^m scilicet membrum de racionali non facit ad propositum nostrum.³⁰ Unde dico quod duplex est proporcio rationalis.³¹ Nam quedam est proportio equalitatis, et est ista que est plurium quantitatum equalium adinvicem habitudo.³² Quedam est proportio inequalitatis, et est ista que est plurium quantitatum unequalium adinvicem habitudo que est in 2° membro.³³ Et dividitur proportio proprie dicta quia quedam est proportio maioris inequalitatis, quedam est minoris inequalitatis.³⁴ Proprietio maioris inequalitatis est quando maior numerus comparatur minori.³⁵ Proprietio minoris inequalitatis est quando minor numerus comparatur maiori addendo <...>

20 radicum] redicuum *cod.*

23 sonorus] sonorius *cod.*

27 potens] poteris *cod.*

35 comparetur *cod.*